

25: *ASSERTIONES*



EX VNIVERSA  
PERIPATETICORVM  
PHILOSOPHIA  
DEPROMPTÆ

Quas


IN CATHOLICA ET ELECTO-  
RALI INGOLSTADIENSIVM  
VNIVERSITATE

DVOE SOCIETATE IESV  
PHILOSOPHIÆ STUDIOSI

Publicè disputandas proposuere

PRIDIE CALENDAS IVLII

*ANNO CHRISTI NATI clb. lcc. xxvii.*



INGOLSTADII,

Typis

GREGORII HENLINI.

1627

ASSERTIONES  
EX LOGICA.  
ASSERTIO I.

**L**OGICA vniuersim omnis diuiditur in Docentem & Utentem: illa in genere modum Definien-  
di, Diuidendi, & Argumentandi suppeditat; Utens autem sunt ipsæ scientiæ & habitus, quatenus  
illa communia præcepta sibi applicant. Docens, quæ probabiliter ratiocinatur, inter Facultates;  
quæ verò præcepta demonstrandi suggerit, inter Virtutes intellectuales & stricti nominis Artes  
collocanda, pro obiecto adæquato habet omnes tres mentis operationes vt dirigibiles, abstrahentes à mat-  
teriâ particulari scientiarum.

2. Materiale Vniuersalis est plurium indiuiduorum conuenientia inter se, & indiuisio secundum præ-  
dicatum essentiale, siue vnitas quædam formalis, multiplicata tamen ad multiplicationem indiuiduorum.  
Formale est illa eadem natura conceptu inadæquato non cognitis videlicet inferioribus apprehensa, quæ  
perfectam vnitatem & aptitudinem negatiuam ineffendi pluribus annexam habeat. habetur vniuersale for-  
maliter per apprehensionem directam, cognoscitur verò per comparatiuam.

3. Vniuersale exigit habere plura inferiora possibilis, in quorum prædicatione vniuersalitatem suam  
amittit. Quinque statuuntur vniuersalia, quæ sub vnâ quadam ratione superiore Analogâ conueniunt. Ge-  
nus vniuersum formaliter non includit differentiam inferiorem, & differentia neque genus, neque differen-  
tiam superiorem. Essentia Speciei quæ talis non constituitur per vniuersalitatem, vel subijcibilitatem, sed  
per id quod se habeat per modum totius. Proprium subiecto necessariò aduenit, Accidens contingenter, &  
potest abesse, quantum est ex principijs intrinsicis subiecti.

4. Denarium Prædicamentorum numerum vt aliquid per se ingrediatur, requiritur, vt sit Ens reale,  
completum, incomplexum, & secundum essentiam saltem finitum. Supremum Genus Substantiæ est sub-  
stantia completa & finita; sub quo per se continentur tam substantiæ materiales & corruptibiles, quàm spi-  
rituales & incorruptibiles. Diuisio substantiæ in primam & secundam est analogi in analogata, propter inæ-  
qualem modum substandi accidentibus.

5. Relatio Prædicamentalis, quæ terminos realiter distinctos & actu existentes prærequirit, est quid mo-  
daliter distinctum à fundamento; à quo existentiam quoque suam accipit, essentiam verò intrinsicè à diffe-  
rentiâ suâ essentiali, quæ est ordo ad terminum; extrinsicè verò à termino formaliter sumpto, quem vt abso-  
lutum respicit. Relationes non habent rationem fundamenti vel termini respectu alterius superuenientis  
relationis; non mutantur etiam ad mutationem numericam terminorum, si illi sub ratione quadam com-  
muni inter se conueniant. Dantur verò relationes Transcendentales.

6. In simplici apprehensione datur veritas incomplexa, nulla tamen falsitas, nisi merè per accidens.  
Verbum EST, quod semper vel adæquatè, vel inadæquatè prædicatur, in propositione de tertio adiacente,  
si necessaria sit, essentiam; si contingens, plerumque existentiam significat. Essentia Enunciationis consistit  
in annatu & renutu mentis, qui est vnus simplex conceptus. Eadem enūciatio semel vera, poterit esse falsa.  
Singularium propositionum de futuro contingenti, vna est determinata vera & altera falsa.

7. Definitio syllogismi, qui solus formalis argumentationis rationem exercet, comprehendit syllogis-  
mum Probatiuum, reijctiue Illatiuum, vt vocant, & constantem propositionibus aperte falsis. Hic si pro to-  
to discursu inferente vnum ex altero accipiatur, Conclusio ad essentiam illius pertinebit; secus, si pro solis  
præmissis sumatur, quæ non sunt causæ Physicæ Conclusionis, sed tantum morales. Conclusio virtualiter in-  
cludit assensum præmissarum, & semper sequitur debiliorem earum partem necessariò necessitate specifica-  
tionis, non autem Exercitij.

8. Diuisio Syllogismi in Demonstratiuum & Topicum est analogi in analogata. Duo syllogismi demon-  
stratiui in diuersa materiâ, Physicâ E. G. specie inter se differunt tam ratione formæ, quàm materiæ. Demon-  
stratio propter Quid requirit præmissas immediatas in mediatione causæ, quæ vera essendi, non tantum co-  
gnoscendi causa sit, necesse est, & distincta ab effectu demonstrando. Proximus effectus demonstrationis est  
Scientia actualis, remotus verò Scientia habitualis ab habitu Principiorum essentialiter diuersa.

9. Obiectum scientiæ tam complexum quàm incomplexum est res ipsa. Actus scientiæ & opinionis in  
vno intellectu de eodem obiecto simul consistere non posse, probabilius est. Metaphysica, Physica, Mathe-  
matica tres totales scientiæ non sunt qualitates simplices, sed aggregatio plurium partialium scientiarum.  
Scientiæ totales vnitatem genericam sumunt ab obiecto formali Quo, trahente secum propriam abstractionem  
tanquam conditionem: habitus & scientiæ partiales vnitatem specificam accipiunt ab obiecto itidem  
formali Quo, præsuppositâ propriâ sibi abstractione: vnitas numerica desumitur ab vnitate subiecti. Scien-  
tiâ subalternans & subalternata essentialiter inter se differunt.

## EX PHYSICA.

10. Physica scientijs speculatiuis associanda obiectum habet Corpus naturale, quæ tale. huius principia  
in sublunariis numerantur tria, Materia, Formæ, & Priuatio: quæ omnia inuestigauit Aristoteles tanquam  
partes constitutiuas primariò compositi positiui, quod sit per materiam & formam, & secundariò Totius pri-  
uatiui, quod constatur suo modo per materiam & priuationem formæ abiectæ per corruptionem: quamuis  
in alio sano sensu tria principia in Fieri, & duo in Facto, rectè assignentur. Hæc principia sub ratione com-  
muni analogâ secundum aliquid extrinsecum conueniunt.

11. Materia prima ingenerabilis & incorruptibilis, ac per solam analogiam ad transmutationem acci-  
dentariam naturaliter scibilis, propriam & independentem à Formâ habet existentiam. Vnde potest absque  
omni formâ, tam substantiali, quàm accidentali saltem absolutâ, & quidem sine nouo aut fortiori DEI in-  
fluxu existere. Potentia, quæ formas substantiales primariò, secundariò accidentales respicit, est ipsa eius  
essentia. Accidentia materialia vel immediatè recipit, vt quantitatem, vel mediatè, vt pleraque alia.

12. Forma substantialis alterum compositi positiui principium, propriam & ipsa habet existentiam, quæ  
omnis forma materialis possit existere miraculosè sine omni materiâ; quo tamen casu opus haberet pecu-  
liari DEI concursu supplente influxum materiæ sustentatiuum. Omnes formæ, exceptâ animâ rationali,  
petunt educi ex potentiâ materiæ: creari tamen eas posse tam intra quàm extra materiam nihil prohibet.  
Gradus Corporis coeque materiæ, & distinctus ab eo, quem forma indiuidua tribuit, superuacaneus est.

13. Priuatio simpliciter est non-ens: Multiplicatur ad multiplicationem genericam, specificam, & nu-  
mericam formarum. respectu generationis principiat definendo, dispositionibus formæ introducendæ com-  
pletis. In composito substantiali præter materiam & formam admittendus est modus vnionis, isque vnicus,  
qui subiectatur in materiâ, & terminatur ad formam: hic cum sit incapax creationis (quemadmodum om-  
nis alia modalis entitas) non poterit compositum creari, quod à partibus vnitis non nisi formaliter distin-  
guitur.

14. Ad Naturam sufficit, esse Principium motus vel passiuum, vel actiuum in eo, in quo est primò per se,  
& non secundum accidens. Hæc ratio Naturæ nec DEO, nec Angelis conuenit, ne quidem quatenus sunt  
principia motus Physici in alio: Cælum tamen, Materiam insuper, omnifq; forma substantialis, ipsa adeo anima  
rationalis quæ talis, ratione naturæ participant, quâuis analogicè: Priuatio verò nec vnioecè, nec analogicè.

15. Causarum genera sunt quatuor. Efficiens principalis propriâ virtute agit, & formaliter vel eminent-  
ter continet effectum: Instrumentalis verò alienâ virtute cum subordinatione videlicet ad causam principa-  
lem. Omnis causa saltem naturâ prior est suo effectu, ab eoque realiter distincta. Materia, Forma, & Effi-  
ciens, quomodocunque inter se componantur, mutuo sibi causæ non sunt, inter Finem tamen & reliqua  
Causarum genera mutua causalitas intercedit. Per potentiâ diuinam plures Efficientes & Finales possunt  
esse causæ totales & principales eiusdè effectus, non tamen Materia & Forma in ordine ad idem compositi.

16. Causalitas intrinsicæ Materiæ & Formæ respectu compositi, quas neque Deus villo modo supplere  
potest, sunt ipsæ earum entitates connotantes vnionem. Extrinsecæ causalitas materiæ est itidem entitas  
illius, connotans præter vnionem modum dependentiæ formarum absolutarum à subiecto. Primariùs effe-  
ctus formæ est solum compositum, secundariùs autem expulsio formæ, quam Deus impedire potest, cum v-  
na materia plures formas possit sustentare, & contrâ vnâ forma informare plures materias etiam disconti-  
nuas. Idea est conceptus formalis, & reducitur tum ad causam Formalem, tum ad Efficientem.

17. Substantiæ tranſeunt non agunt diſtincto influxu ab influxu accidentium, quæ ſunt proxima illarum virtus, ac ſeparata etiam à naturali ſuo ſubiecto, & à cauſâ principali producunt effectum. Cauſa principalis effectum ex putri, attritu, &c. eſt tota illa natura in communi, cui ſubordinantur diſpoſitiones, & inſtrumenta. Præter potentiam Naturalem datur Obediencialis paſſiua & actiua, adeo vt creatura aſſumit poſſit ad creationem alterius in genere cauſe inſtrumentalis non autem principalis, imo etiam ad alterius annihilationem, & vniuerſim ad omne id, quod non implicat contradictionem.

18. Cauſalitas Efficientis eſt Actio, quæ non eſt in agente, ſed paſſio; eſtque ipſa entitas termini, prout annexum habet modum aliquem dependentiæ, qui effectum indiſtinctum ex ſe, vt producatur à certâ cauſâ, vltimò determinet, & hanc indiſtinctam tollat. hic modus facit certos effectus etiam dependere à cauſâ materiali: mutatur ad variationem cauſæ totalis & adæquatæ, termino integro in ſe permanente. Eadem numero actione concurrunt Deus cum cauſâ ſecundâ, à quâ determinatur quoque tam quoad ſpeciem, quàm quod indiuiduationem effectus. Accidens producitur ab alio accidente, vt à cauſâ principali.

19. Ratio Finis conuenit fini Cui & Cuius ſimul ſumptis. Huius virtus cauſandi eſt bonitas vel vera, vel apparens; vtilis, quâ talis non eſt ſufficiens. Apprehenſio eſt conditio ſine quâ non; cauſalitas illius in intellectuallibus, eſt Intentio ſeu amor efficax. effectus ſunt media & operationes, quæ ad finem acquirendum adhibentur. Deus non quidem ad intra, ſed ad extra propriè agit propter finem, quemadmodum etiam creaturæ intellectuallibus, & reliqua agentia naturalia tam animata quàm inanimata.

20. Motus deſinitur Actus entis in potentiâ, prout in potentiâ hac deſinitione comprehenditur motus duntaxat ſucceſſiuus, qui eſt ipſa forma ſucceſſiue poſita in ſubiecto, quatenus dicit priuationem formæ perfectæ. Motus à mobili realiter; à termino vt imperfectum à perfecto; ab actione & paſſione formaliter diſtinguitur. Tantum ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi datur motus per ſe ſtrictè ſumptus. Specificatur à termino ad Quem formaliter accepto. Ad eius vnitatem numericam requiritur vnitatis numerica mobilis, termini ad Quem, temporis, non autem mouentis.

21. Præter locum extrinſecum, cuius immobilitas deſumitur à diſtantiâ punctorum fixorum in vniuerſo, ponitur tam in ſubſtantijs, quàm omnibus accidentibus abſolutis modus intrinſecus applicatiuus corporum, qui acquiri & perdi, non autè transferri poteſt, & dicitur Vbi; nec tamen à Situ plus quàm formaliter diſtinguitur. Terminus formalis motus localis eſt ipſa coeſiſtencia mobilis ad locum, quæ & Vbi intrinſecum, & locum, extrinſecum includit. Supernaturaliter poſſunt duo corpora in eodem, & vnum in diuerſis locis exiſtere tam deſinitiuè, quàm circumſcriptiuè.

22. Infiniſimum Syncategorematicum de facto datur: Categorematicum verò, excepto Deo ſimpliciter infiſinito, in omni genere implicat; eſt plus non differant, quàm quòd illud ſit in actu permixto potentia, hoc verò totaliter in actu completo. Vacuum natura refugit, ſi tamen virtute Diuinâ vel Angelicâ daretur, poſſet in eo fieri motus alterationis, & aliquis localis. Motus grauium & leuium futurus eſſet in tempore. Tempus non tantum aliquo inſtanti, ſed ſecundum ſui partes eſt præſens; ſuperaddit motui ſucceſſiuo entitatem quandam modalem. Duratio rerum permanentium non eſt aliquid à re permanente diſtinctum.

23. Effentia Quantitatis eſt extenſio in ordine Ad ſe. Entia materialia tametſi partes ſuas entitatus habeant independentèr à quantitate, extenſionem tamen nullam habent niſi beneficio quantitatis. Continuum eſt diuiſibile in infiſinitum per partes proportionales; non componitur ex meris indiuiſibilibus; nullas in eo ante designationem eſt reperire actu inter ſe diſtinctas partes, & per conſequens nulla indiuiſibilia copulantia; terminatur ſeipſo, ſicut reliquæ effentia: Indiuiſibilia tamen non ſunt merè negationes, ſed ſunt ipſa quantitas, prout formaliter non exercet aliquam commenſurationem.

24. Mundus verno tempore productus generali Dei concursu conſeruetur, poſt extremum Iudicij diem accidentaliter tantum immutandus, quoad entia permanentia potuiſſet durare ab æterno, non autem quod ſucceſſiuus. Cœleſtia corpora ex natura ſua ſunt incorruptibilia, ſolida, conſtant genere & differentiâ, ceterum probabiliter ſimplicia. Ipſi cœli ab inuicem, aſtraque ſingula à ſingulis ſpecie diſtinguuntur, mouentur à proprijs Intelligentijs; & agunt per veras influentias in corpora ſublunaria, non tamen directè in intellectum vel voluntatem.

25. Singula Elementa habent duas primas inter ſe non contrarias qualitates ex natura ſua in ſummo gradu,

gradu, quæ omnes ſunt eiſdem ſpeciei, ſi idem nomen participant. Elementa ſubſtantialiter inter ſe tranſmutantur, velocius quidem ſymbola, quàm diſſymbola. in certo caſu vnum immediatè conuerſi poteſt in ſuum diſſymbolum, quamuis ordinariè tertium quoddam ſpecie ab vtroque diſtinctum producatur. Qualitates contrarias ſumme intenſas à Deo poſſe poni in eodem ſubiecto, non repugnat.

26. Grauitas & leuitas ortæ ex combinatione primarum qualitatum præſuppoſitâ debitâ raritate & denſitate ad diuerſitatem ſpecificam quatuor elementorum ipſæ quoque ſpecie inter ſe differunt. ab his tantam proximâ virtute, elementa, velocius tamen in fine quàm medio propter concuſum medij pleni, mouentur ad locum ſuum naturalem, quo acquiſito neque grauitant, neque leuitant. Proiecta in puncto reflectionis ordinariè quieſcunt: mouentur tum ab ipſo medio, tum à virtute impreſſâ, quæ ſubinde in inſtanti, ſubinde in tempore producta paulatim perſiſtentiam medij & grauitatem proiecti deſtruitur.

27. Terminus formalis generationis ſubſtantialis eſt forma vnita materiæ, cui opponitur corruptio formæ ſubſtantialis, quæ eſt actio formaliter negatiua; in quâ eadem numero accidentia communia genito & corrupto remanent, nullæ tamen formæ ſubſtantiales partiales. Deſtructo viuente producitur forma cadauerica, quarum vna pro diuerſitate diſpoſitionum ſpecie diſcrepat ab alterâ. Generatio & Corruptio ſubſtantialis per ſe loquendo ſunt in inſtanti, entia verò ſucceſſiua, quæ talia producuntur in tempore, & extrinſecè incipiunt.

28. Alteratio eſt motus ad Qualitatem tam intenſiue, quàm extenſiue continuus. Intenſio ſit ex additio ne gradus ad gradum, qui omnes homogenei ſunt. Augmentatio eſſentialiter differt à nutritione; hæc pro termino ſuo habet ſubſtantiam, illa verò quantitatem, non quæ de nouo quoad entitatem producatur, ſed tantum vniatur priori. Rarefactio & Condensatio ſunt actiones productiue qualitatis, quæ ſit ens abſolutum ad quam naturaliter ſequitur modus extenſionis in ordine ad talem locum.

29. Agentia naturalia habent certam actiuitatis ſuæ ſpheram; poſſunt tamen virtute diuinâ effectum in diſtanti loco producere, tum vt inſtrumenta, tum etiam vt cauſæ principales, modò effectus virtutem illorum non excedat. Si Deus per impoſſibile non omni loco adeſſet præſens, maneret inſinitæ tamen potentia, in loco quantumuis remoto poſſet ponere effectum. Implicat aliquid principaliter agere in ſeipſum actione vniuocâ directâ vel reflexâ. In antiperiſtaſi ſit vera qualitatum intenſio. Simile in qualitate & gradu non agit in aliud ſimile, ſiue in magnitudine & denſitate inter ſe conueniant, ſiue diſcrepent.

30. Datur actio & reactio inter duo contraria ſecundum eandem partem & contrarietatem ac in eodem tempore. Reſiſtentia effectiua commenſuratur virtuti primò productiue; formalis autem, quæ in qualitatis eſt ipſa eſſentia qualitatis, interdum maior, interdum minor eſt virtute productiua. Mixtio ſubſtantialis conſiſtit formaliter in productione formæ mixti, quæ ſimplex entitas eſt, neque elementa aliter in ſe continet, quàm virtute. Omnia entia ſemel corrupta à Deo poſſunt iteratò produci, præter entitatem Temporis.

31. Remota mereorum materia ſunt elementa, proxima verò exhalationes & vapores; hi ab aquâ, illæ autem à terrâ non niſi accidentaliter differunt. Cauſa efficiens meteora eſt cœlum, ſidera, antiperiſtaſis. Illorum quædam ignea ſunt, vt cometa, qui inſtra concauum Lunæ apparent, fulmina præterea, fulgura & alia huiusmodi: alia aërea, qualia ſunt propriè tantum ventri, quæ ſunt exhalationes à nubiſus ad nos repercuſſæ: aquæ, vt nubes, pluuia &c. terra denique ſunt terræ motus, ignes ſubterranei &c.

32. Anima eſt actus primus corporis Phyſici & organici, potentia vitam habentis. Tria ſtatuuntur animarum genera, quatuor autem gradus viuentium, Vegetatiuus, Senſitiuus, Locomotiuus & Intellectiuus. Anima rationalis formaliter eſt ſimul ſenſitiua & vegetatiua, & vera forma informans etiam ſecundum vltimam ſui differentiam; creatur à Deo materiâ ad illam recipiendam ritè diſpoſitâ, cuius introductionem animas imperfectiores vegetatiuam ſcilicet & ſenſitiuam præcedere, quæ deinde illâ ſuperueniente deſtruantur, probabilis aſſeritur.

33. Sola anima rationalis eſt indiuiſibilis, reliquæ omnes tam inſectorum quàm perfectorum animalium diuiſibiles producuntur ab agente materiali: earum partes homogeneæ ſunt tam quoad perfectionem eſſentialem quàm indiuidualem. In vno viuente vnica tantum reperitur anima, quæ ſecundum omnes ſui gradus totum corpus informat, præter extimam cuticulam, pilos, cornua, & huiusmodi partes excrementitias; quatuor humores præterea, & quæ ab his eſſentialiter non differunt, hæc enim omnia propria ſua formâ inſtructa ſunt.

34. Quinque censentur generales potentie Animæ, Vegetatiua, Sensitiua, Appetitiua, Locomotiua, & Intellectiua. Potentie vniuersim omnes strictè realiter distinguuntur ab animâ: specificantur à suis actibus, & his mediantibus à suo obiecto: producuntur per veras Physicas actiones immediatè ab animâ, in quâ spirituales etiam recipiuntur, materiales verò in materiâ. Potentie eiusdem nominis, quæ formam communiant obiecto, pro diuersitate essentiali formarum ipsæ quoque essentialiter diuersæ sunt; quæ autem formam accipiunt ab obiecto, earum nulla, in quibuscunq; demum animalibus sit, specie ab alterâ differt.

35. Potentia vegetatiua tres subsiectas sibi habet principales potentias, Nutritiuam, Augmentatiuam, & Generatiuam omnes inter se realiter & essentialiter distinctas: Nutritiua insuper alias quatuor minus præstantes & sibi deseruientes Attractiuam, Retentiuam, Concoctiuam, & Expulsiuam. Causa efficiens nutritionem est animâ aliti, cui subordinatur potentia nutritiua cum suis facultatibus sibi ministrantibus & qualitatis primis. Sanguis ex quatuor humoribus est proximum alimentum viuentis, quod semper & continuò nutritur in vitâ, non tamen quodlibet ex quolibet.

36. Sensationes non sunt meræ passionés, sed veræ Physicæ actiones, quarum singulæ habent suum certum terminum. Effectiuè sunt non ab animâ immediatè, sed à potentiâ & speciebus impressis, quales omnis sensitiua potentia accipit ab obiecto, antequam operetur. huiusmodi species omnes accidentales sunt, & essentialiter distinctæ ab obiecto, eiusq; non virtuales, sed formales imagines. Has in ordine ad subiectum tantum intensiue, quàm extensiue diuisibiles; representatiue verò siue in ordine ad obiectum consideratas indiuisibiles ponere, conuenientius est.

37. Species impressæ tam directæ quàm reflexæ producuntur ab obiecto, à quo dependent quoque in conservari, vt absque illo non diu saltem existant. recipiuntur in organo sensus, quem suâ actione, quantumvis intensæ, nunquam lædunt, nulla potentia materialis reflectit se supra suum actum, ad quem elicientium requiritur medium vel internum, vel externum; vnde sensibile supra sensorium positum sensationem nõ facit modo connaturali.

38. Præter quinque sensibilia Propria, numerantur etiam quinque sensibilia Communia, quæ modificant speciem sensibilibus Proprii, non distinctam ab eâ & absolutam sui speciem producunt. Sensibile Proprium à sensu externo per nullam potentiam potest percipi absque omni sensibili Communi, & multo minus sensibile Commune absque Proprio. Sæpius aberrat sensus circa sensibile Commune quàm Proprium. In obiectum, quod nunquam fuit; vel quod indiuisibili modo existit, sensus externus non fertur, quantumvis supernaturaliter vtrumque possit contingere.

39. Sensus externi hoc perfectionis ordine se consequuntur, Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus; quos inter gustus & tactus omnibus animalibus videntur necessariò conuenire. Non repugnat alium sensum externum specie ab his distinctum produci. Obiectum visus est quid innominatum commune colori & luci. Ad videndum colorem requiritur lumen cum ex parte obiecti, tum ex parte medij, lux tamen medio illuminato opus non habet. species visibiles per medium non impeditum in instanti, audibiles verò successiue propagantur.

40. Ad animam sensitiuam sequuntur quatuor sensus interni realiter inter se distincti, Sensus communis, Potentia Imaginatiua, Æstimatiua, & Memoria. Hi species suas impressas accipiunt à speciebus expressis sensuum externorum, modificantibus speciem obiecti extrinseci; memoriâ tamen insuper tendere in actus quoque sensuum internorum, experientia persuadet. In sensu interno nullæ species insensatæ sunt admittendæ. Causa somni sunt vapores ascendentes in cerebrum, impediens influxum cerebri necessarium ad motum & actiones sensuum externorum.

41. Omnis potentia cognoscitiua annexum habet proportionatum sibi appetitum elicitum, intellectiua quidem voluntatem; sensitiua verò appetitum sensitiuum, qui pro obiecto habet Bonum sensu cognitum, & diuiditur in Concupiscibilem & Irascibilem, quorum vterque essentialiter inter se distincti in corde resident. eorum actus etiam Passiones nuncupentur, sunt tamen propriè dictæ actiones, secundum se nec bonæ, nec malæ; in appetitu sensitiuo reperiuntur veræ virtutes morales.

42. Intellectus in quouis homine duplex est Agens & Possibilis; cuius obiectum terminatum est ens reale latissime sumptum; motiuum verò id solummodo, quod propriam sui speciem habet. Intellectus Possibi-

Possibilis ad agendum proxime determinatus per phantasmata tanquam à conditione sine quâ non, Physicæ autem per species intelligibiles ab intellectu Agente prouenientes, solum quæ sensibilia Per se, & accidentia materialia directè representantes, elicit operationem, pro termino suo habentem verbum mentis. Primum Cognitum cognitione originali est singulare accidentis, gradus vniuersalioris. Memoria intellectiua tantum formaliter ab intellectu Possibili distinguitur.

43. Præter species intelligibiles in intellectu recipiuntur etiam Habitus, qui facilitatem operandi in potentiam inuehant. Producuntur ab actibus, quoad suam essentiam quidem per primum quantumvis remissum; intenduntur per actus intensos, & etiâ syncategorematicè in infinitum remissos, generant actus similes ijs, à quibus ipsi fuere generati. Corruptuntur in genere causæ efficientis ab actibus contrarijs; in genere verò causæ formalis ab habitu producto per oppositos actus.

44. Voluntas potentia ab intellectu distincta eoque ignobilior, obiectum motiuum habet Bonum iudicandum & honestum, non vile quâ tale. Necessariò mouetur à bono in comuni quoad specificationem; à bono autem particulari in hac vitâ nec quoad specificationem nec Exerciitiu. Mouet appetitum sensitiuum & imaginationem imperio politico, membra verò corporis despotico. ad operationem illius naturaliter requiritur cognitio obiecti, quæ tamen diuinitus videtur posse suppleri. In voluntate subiectantur veri habitus, Liberum arbitrium in homine est ipsa potentia volitiua, quæ sola libertatem in se formaliter continet.

45. Anima rationalis simplex entitas, incorruptibilis & immortalis, in omnibus hominibus est eiusdem perfectionis; separata à corpore substantialiter non immutatur, habetque ad reuersionem sui cum materiâ neque appetitum naturalem, neque elicitum. Retinet secum, quantum est ex naturâ rei, omnes potentias spirituales, & habitus in ijs subiectatos, non autem potentias organicas, vel species sensibiles, sed tantum intelligibiles, ita tamen, vt nouas à Deo in statu separationis communicatas, accipiat, quibus omnia intelligit; Deum tamen & seipsum per suam substantiam immediatè cognoscit. Potentiâ suâ locomotiua spirituali, tam se quàm alia entia loco dimouere potest.

EX METAPHYSICA.

46. Metaphysica Scientiarum prima, & simul vera Sapiencia pro obiecto considerat omne ens reale quæ ens, quod respectu suorum inferiorum est analogum, in quorum vltimis differentijs formaliter includitur, neque habet conceptum obiectiuum vel formalem ab illis perfectè præcisum. ad quæcunq; contrahatur inferiora, nunquam tamen prædicabitur vniuersè. Analogia, quam habet in ordine ad Deum & creaturas, substantiam & accidens, est analogia mixta, cum omnia hæc formam denominantem intrinsecè in se contineant, in quo similis est analogis Proportionalitatis; & ordo nihilominus ac dependentia vnius ab altero intercedat, in quo participat proprietate analogorū Attributionis, quæ sunt geminæ species analogiæ in genere.

47. Entia dicuntur Possibilia à priori per sui non-repugnantiam ad Esse, quam in se habent respiciendo essentiam Dei, vt à se imitabilem; à posteriori verò per denominationem extrinsecam, quod Deus illa possit producere. Ante existentiam non habent propriè aliquod Esse reale, & in productione actuali essentia eorum ex non-ente simpliciter, sit simpliciter ens. Componuntur ex Genere & Differentiâ, possuntque identificari aliqua cum illis, quæ non sunt de intrinseco illorum conceptu; quicquid tamen de essentia eorum est, id ipsis & connaturale est. abstrahendo ab eorum existentia non omnia eandem habent necessitatem.

48. Essentia formaliter diuntaxat, non realiter distinguitur ab Existentiâ; vnde quorum est diuersa species vel genere essentia, eorum quoque existentia specie vel genere inter se differunt. Gradus Metaphysici, tam superiores quàm indiuiduus, tantum ratione ratiocinari ab inuicem in eodem supposito distinguuntur; nullus alterius potest esse vera causa, & vno producto, producuntur & ceteri. Desumuntur à toto; in materialibus compositis à formâ tanquam à principio sui constitutiuo; à materiâ verò tanquam complemento totius entis completi.

49. Subsistentia est modus substantialis productus ab agente extrinseco, superadditus substantiæ indiuiduæ materiali & immateriali, illique in entitate proportionatus quoad diuisibilitatem vel indiuisibilitatem; simplex est, si natura sit simplex; si verò composita, ipse quoque erit compositus ex duabus partialibus subsistentijs

stentis materiæ & formæ incompletæ tam materiali, quam spiritali correspondentibus. Suppositum creatum non potest terminare alienam naturam, increatum tamen poterit siue præsentem siue absentem propriam illius naturæ suppositivitate. Accidentibus absolutis, non verò modalibus, eadem proportione concedendus est modus Inhærentiæ distinctus ab vnione, quæ accidens vnitur subiecto.

50. Tres sunt passiones Entis improprie dictæ, quæ reale ipsi nihil superaddunt, & cum illo conuertuntur, Vnum, Verum, Bonum. Vnum in recto, formaliter, & intrinsecè dicit negationem diuisionis in se, in obliquo autem ipsum ens, cui addit illam negationem. Principium vnitatis numericæ in plerisque entibus nihil est distinctum realiter ab existentia. Vnitati opponitur Distinctio, quæ diuiditur adæquatè in realem & rationis; realis porro in strictè realem & modalem; rationis verò in distinctionem rationis ratiocinantis & ratiocinatæ, quam inter & modalem, modalem in super & strictè realem nulla mediat distinctio. Ex naturâ rei. Verùm addit Enti relationem rationis aptitudinalem ad intellectum: Bonum itidem relationem rationis essentialiẽ conuenientiæ cum altero.

51. Deus est ens simplicissimum expers omnis compositionis, de cuius intrinsecò conceptu præter propriam indiuiduationem est ipsa existentia. Omnia entia creata eminenter in se continet, infinitus, æternus &c. sapientiæ & potentiæ infinitæ, ita vt omnem penitus virtutem causæ efficientis, respectu effectus transcendentis & immanentis se solo, vel quouis alio in instrumentum adhibito supplere possit; à cuius actuali concursu omnia tam in primâ productione, quàm conseruatione essentialiter dependent, quo denegato in nihilum suum denuo reuertentur.

52. Angeli sunt substantiæ simplices, incorporeæ & immortales: omnes essentialiter inter se diuersi. Assumere possunt corpora non tamen per veram informationem. Deum & seipsum immediatè per propriam substantiam intelligunt, reliqua verò per species à Deo in creatione liberè, iuxta illorum tamen exigentiã, infusas. cognoscunt futura habentia causas necessarias; futura contingentiã & effectus internostantum per coniecturam, certò tamen comperiunt internas affectiones factò consensu DEI vel illius liberi agentis, tanquam conditione ad huiusmodi intellectionem necessariã.

53. Intellectus Angelicus ab eorum substantiã & voluntate distinctus potest ferri simul in plura obiecta vel omnino disparata, vel sibi inuicem subordinata, non tamen per modum iudicij aut discursus: in eo nulli reperiuntur habitus acquisiti. Angeli sunt in loco diuisibili per Vbi formaliter diuisibile, plures in vno, vnus tamen non nisi in vno. Potentiã suã loco motiã spiritali, in loco quoque indiuisibili existentes, seipsum mouent ab vno termino ad alterum, motu tam continuo quàm discreto, etiam non transito medio, alia insuper entia seipsis, si præsentem sint mobili; sin absentes, per virtutem impressã.

54. Ens Rationis tantum habet suum esse obiectiuè in intellectu: vel est sine fundamento in re, vel cum fundamento. hoc diuiditur adæquatè in Negationes, Priuationes & Relationes rationis, quæ sequuntur ad operationes omnium potentiarum. Ens rationis non se tenet ex parte nostræ cognitionis, sed obiecti. per cognitionem directam fit actuale ens rationis respectu Negationum & Priuationum; Relationes autem rationis actu quoad existentiam non sunt nisi operã cognitionis reflexæ:

à Denominationibus extrinsecis tanquam entia fictitiã  
à realibus distinguuntur.

Cum facultate superiorum.